

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

428

426

432

422

437

417

477

377

527

327

Ende

Anfang

417

recompensam amicitiae idem Narses sacellum S. Theodori martyris, ubi nunc est templum S. Marci, aedificavit et quasdam alias ecclesias. Illo namque tempore non erat civitatis patronus S. Marcus, sed S. Theodorus. Deinde anno 810 Romano pontifice Leone, imperante Carolo Magno, Justiniano duce Venetorum XII. fuit corpus S. Marci evangelistae ab Alexandria Venetas translatum hoc modo. Quidam mercatores Veneti, non ex proposito sed coacti impulsu ventorum, Alexandrinum portum intrayerunt et S. Marci ecclesiam et reliquias visitaverunt, quibus duo sacri corporis custodes conquesti fuerunt, quod Babyloniae vel Cayri regulus sibi construi faceret palatium, ad quod columnas marmoreas de Christianorum aedificiis recipere mandavit, sive plures ecclesiae in dies destruerentur, et hoc idem timerent fieri in proximo ecclesiae S. Marci et corpus sacrum dispergi. Ad consilium ergo illorum mercatorum monachi illi tradiderunt corpus evangelistae illis Venetis, quod accipientes cum multis et miris prodigiis Venetas transtulerunt. Ob ejus honorem dux Justinianus templum egregium fundavit, quod Johannes, successor ejus in ducatu, consummavit in loco, ubi Narses sacellum sancti Theodori aedificavit. Ad hoc templum multa dona duces Germaniae contulerunt et ex tunc primum senatus Venetus Marci ipsius imaginem tamquam urbis patroni in vexillis, scutis et velis defterri statuit.

Porro, ut dicitur, non diu S. Marcus Venetis mansit, sed ab urbe abiit post centesimum LXXXIV annum suae in eam translationis, ducante Petro Candiani 23 Venetorum duce, indisciplinato homine. Suo enim tempore, ut dicunt, expulsi fuerunt omnes alieni de urbe et quicumque post tertium diem inveniebatur, capite plectebatur. Infra hoc triduum in solis occasu venit quidam peregrinus ad barcarium exspectantem homines in rivo S. Marci, et projecto ducato in barcam petivit se celeriter educi ad littus juxta Margerum. Barcarius ergo accelerato negotio eduxit illum putans, eum vel decurrere fugitivum, vel alias alicuius sceleris reum: in eductione autem videbatur barcario, quod peregrinus ille venerandissimus homo esset, et mirabatur ejus casum; cumque ad littus venissent, dixit peregrinus ad barcarium: vade Venetas et duci et senatui: haec dicit Marcus evangelista: quia omnes alieni